

## F. S. S. D. B. Todtio.

**N**on dubito, quin hoc quod tibi muneri mitto opusculum spectata tua benignitate excipias clementerque te praebeas judicem, sed quoniam non ignoro, quam assiduam atque felix studium in Aeschyli tragoedias contuleris, quantaque iudicii elegantia vigeas, rationem scriptionis meae tibi exponi oportet.

Cum virum clarissimum Ritschelium de Aeschyli Septem adversus Thebas disserentem deque alternarum nuntii et Eteoclis orationum responsione ingeniose disputantem audivissem, cum viri doctissimi auctoritate tum re nova inductus Aeschyli tragoedias juvenili cum ardore aliquamdiu perscrutatus sum, utrum locus ille insignis (vv. 356—657 ed. Herm.) solus responsionem quandam vel relationem haberet an plures essent aut omnes. Postea vero variis curis impeditus, quominus illa studia persequerer aut repeterem, quaestionem novam reposui et quae viri docti paulatim hac de re disputare atque dijudicare coeperant non consulto negligere satis habui. Cum autem munus scribendi aliquod opusculum programmati adjungendum nuper mihi delatum et nostra quam novisti librorum inopia non levi esset curae, mox quae de arte ab Aeschilo in componendis diverbiis adhibita olim adnotaveram mihi in mentem venerunt. Electis igitur statim minoribus diverbiorum partibus magnopere quidem studij cavere, ne minus eleganter bene jam a viris doctis explicata rescriberem, tamen, ut in spicilegiis fieri solet, non potui quin satis notas res paucis passim attingerem.

Eo majorem vero te capturum esse oblectationem spero, quo magis tibi haec ipsa quaestio quaeque aliae ante tres abhinc annos a nobis deambulantibus consentibusve disceptari solebant jucundissimae consuetudinis memoriam redintegraverit. Me omnesque familiares et de te et de tuis quam saepissime atque amantissime recordari velim persuasum habeas. V.

**E**x quo tempore Ritschelio v. cl. auctore viri docti Aeschyli diverbia diligentius intentiusque quam antea investigare coeperunt et Henricus Weilius novam quandam legem antitheticam quam vocat aperuit, nullo modo fieri potest, ut quae ab hoc viro docto de poetae gravissimi arte dicta sint omnino praetermittantur. Neque enim singulos tantum locos, sed totam componendi rationem considerat et in praef. ad Choeph. p. V. his fere verbis explicat: Sermones si ita distinxeris, ut rerum et sententiarum divisione personarum vicibus loquendi finibus a poeta ipso distincta sint, periodos invenies ad canticorum strophas et responsione et implicatione prope accedentes. Referuntur enim versuum numeri pares paribus, unde existunt paria periodorum modo juxta posita modo alterno modo inverso ordine se excipientia. — Sed periodi longiores quum non facile auribus percipiantur sicut strophae lyricae aut oratoriae periodi, membris sive articularis distinguuntur numero versuum non ita magno comprehensis et periodorum antitheticarum ea est lex, ut eadem habeant membra aut eodem aut inverso ordine disposita. Quam legem cum Weilius nullo loco, quod quidem scio, a poeta neglectam esse contendat, ad constituenda paria orationum membra facere non potest, quin diversissimi generis versus non raro jungat. Qua de causa nuper jam Keckius (v. ann. phil. vol. 81 p. 843 s. et vol. 87 p. 153. s.) recte ita disputavit, ut responsionem sermonum et antitheticam compositionem tenendam probaverit neque eam ad emendandum Aeschylum magni esse momenti negaverit, jure tamen praeter alias res diversorum versuum computationem acerrime impugnavit. Cui ut assentiar et certos cujusque artis fines esse respiciendos censeam, extra quos transgredi non liceat, et re ipsa moveor et complurium virorum doctorum inprimis Ritschelii auctoritate haec monentis: Was zwang überhaupt den Dichter, aus einer relativen Symmetrie sofort eine absolute zu machen? da doch ein Princip nicht gleich zu Tode geritten werden muß. (v. Ann. phil. vol. 77 p. 799).

Quam arctis autem finibus Aeschyli diverbia contineantur, jam perspicies, si Sophoclis atque Euripidis tragoedias comparaveris magnamque alternorum versuum copiam animadverteris. Euripides enim eo effusionis verborum saepissime procedit, ut plures quam quinquaginta versus singulos atque etiam usque ad centum in sermonibus jungat. Conf. Bacch. v. 463 s., v. 803 s., Hel. v. 89 s., v. 780 s., v. 1195 s., Med. v. 667 s., El. v. 220 s., Iph. Taur. v. 495 s., Cycl. v. 102 s., Or. v. 385 s., Phoen. v. 1646 s., Ion. v. 264 s., 368 s., 934 s. etc. Quam copiam etsi in Sophoclis tragoediis non reperimus, tamen non raro plures quam triginta versus alternos adhiberi videmus. Conf. Aj. v. 1120 s., v. 1346 s., El. v. 385 s., v. 1023 s., v. 1176 s., Oed. r. v. 1149 s., v. 1007 s., Antig. v. 730 s., Phil. v. 400 s., v. 1224 s. Multo autem minores et rariores sunt ejusmodi stichomythiae quae vocantur apud Aeschylum; etenim quattuor vel quinque tantummodo exstant et, quod inprimis apud Euripidem frustra quaeras, tam accurate sunt compositae, ut plures pari versuum numero insignes partes facili negotio dignoscas. Hac ratione illa undeviginti versuum stichomythia in Septem adv. Thebas vv. 228-246 composita est.

- XO. καὶ μὴν ἀκούω γ' ἱπτακῶν φρονιμάτων. XO. ὦ ξυντέλεια, μὴ προδῶς πυργώματα.  
 ET. μὴ νῦν ἀκούουσ' ἐμφανῶς ἄκου' ἄγαν. ET. οὐκ ἐς φθόρον σιγῶσ' ἀνασχῆσαι τάδε;  
 XO. στένει πόλισμα γῆθεν ὡς κνκλουμένων. XO. Θεοὶ πολῖται, μὴ με δουλείας τωχεῖν.  
 ET. οὐκοῦν ἐμ' ἀρκεῖ τῶνδε βουλευέειν πέρι. ET. ἀντὶ σὺ δουλοῖς καὶ σὲ καὶ πᾶσαν πόλιν.  
 XO. δέδοικ', ἀραγμὸς δ' ἐν πόλεισ' ὀφέλλεται. XO. ὦ παγκρατὲς Ζεῦ, τρέψον εἰς ἐχθροὺς βέλος.  
 ET. οὐ σῖγα; μηδὲν τῶνδ' ἐρεῖς κατὰ πόλιν. ET. ὦ Ζεῦ, γυναικῶν οἶον ὠπασας γένος.  
 XO. μοχθηρόν, ὡςπερ ἄνδρες ὦν ἀλφὴ πόλις.  
 ET. παλινστομεῖς αὖ θιγγάνουσ' ἀγαλμάτων;  
 XO. ἀψυχία γὰρ γλῶσσαν ἀρπάξει φόβος.  
 ET. αἰτουμένῳ μοι κοῦφον εἰ δοίης τέλος.  
 XO. λέγοις ἂν ὡς τέχιστα καὶ τέχ' εἶσομαι.  
 ET. σίγησον, ὦ τάλαινα, μὴ φίλους φόβει.  
 XO. σιγῶ' σὺν ἄλλοις πείσομαι τὸ μόρσιμον.  
 ET. τοῦτ' ἐντ' ἐκείνων τοῦπος αἰροῦμαι σέθεν.

Ad v. 234 ὦ ξυντέλεια scholiasta recte interpretatur: τὸ κοινὸν ἄθροισμα τῶν Θεῶν, μεταφορικῶς, etsi Hermannus Toupio auctore potius communitatem civium intelligendam esse censet. Nam et v. 202 similia verba: Θεῶν ἄδε πανήγυρις a choro usurpantur et quovis loco Eteocle hominum vel potius virorum fortitudinem et prudentiam praedicante deorum auxilium et providentia invocari solent. Quae si ita sunt, haec stichomythia in tres dividitur partes, quarum prima ter repetitas virginum terrore belli trepidantium exclamationes, altera tres deorum bene se excipientes invocationes continet, quibus singulis Eteocles totidem versibus respondet. Tertia pars aut eundem v. numerum habet, si ultimus σιγῶ — μόρσιμον conjungitur cum sequenti Eteoclis: τοῦτ' — σέθεν, aut septem v. comprehendet, qui tanquam epodi loco priores sequuntur.

Similis stichomythiae partitio apparet Choeph. vv. 896 — 916, ubi Hermannus v. 917 ἢ κάρτα — φόβος libros secutus Orestis recte tribuit, non Clytaemnestrae, ut Stamlejus, propter aptam sententiarum connexionem et colloquii aequabilitatem. Huic v. proximum ἔκαρες — πάθε adjuunxit recte his verbis: Neque vero Wellauero assentiendum est, qui inter hos duos versus 917 et 918 unum versum, qui Clytaemnestrae fuerit, excidisse putat. Immo duos Orestes habet versus, ut in fine colloquii. Quae de re conf. Prom. v. 781 s., Suppl. v. 308 s., Choeph. v. 775 s., Eum. v. 597 s. etc. Media igitur hujus stichomythiae pars septem versus 903 — 910: διχῶς ἐπράθην — κινεῖν εἰκας complectens ea continet, quae Orestes matri ob patrem caesum violatumque matrimonium exprobat. In praecedentibus septem v. mater filii pietatem, in sequentibus deorum iram praetendit, ita tamen ut primi et ultimi versus illas sententias tantum incipiant concludantque.

Tertius est locus Prom. vv. 757 — 780; quae stichomythia gravi vaticinatione Promethei: ἢ τέξεται γε παῖδα φέρτερον πατρός in duas dividitur partes pares, ita ut altera, quae Jovi ipsi immineant ostendit, altera Promethei sortem. Neque diversa ratio videtur adhibita in Suppl. vv. 282 — 307. Quamquam enim mutila sunt, quae in libris adhuc exstant, et viri docti diversis de causis plures excidisse versus probaverunt, tamen ita jam diu consentiunt, ut quae de Jus laboribus memorantur sine dubio iis respondeant, quae de ejus progenie narrantur. Aptissime vero vv. 294 et 295 XO. τοιγὰρ νῦν ἐκ

γῆς ἤλασεν μακρῶ δρόμῳ. ΒΑΣ. καὶ ταῦτ' ἔλεξας πάντα συγκόλλως ἐμοί transitionis locum tenere quis est quin intelligat.

Quae de his maioribus partibus demonstrata sunt pari modo de minoribus dici non posse facile apparet, sed non raro etiam in his certa lex perspicitur, sive diversae res pari versuum numero significantur, sive gravissima res in fine stichomythiae seponitur, sive in priore parte is qui aliquam rem narrare vult ab altero interpellatur et ipsa responsio quaeque ad eam spectant sequentem partem explent. Unum tantum locum proferre licet Prom. vv. 932—940.

1. ΧΟ. σύ θῆν ἃ χρῆσεις, ταῦτ' ἐπιγλωσσῶ Λιός. 2. ΠΡ. ἄπερ τελεῖται, πρὸς δ' ἃ βούλομαι λέγω.
3. ΧΟ. καὶ προσδοκᾶν χρῆ δεσπόσειν Ζηρός τινα; 4. ΠΡ. καὶ τῶνδ' ἔξει δυσλοφωτέρους πόρους.
5. ΧΟ. πῶς δ' οὐχὶ ταρβεῖς τοιάδ' ἐκρίπτων ἔπη;
6. ΠΡ. τί δ' ἂν φοβοίμην, ᾧ θανεῖν οὐ μόρσιμον; 7. ΧΟ. ἀλλ' ἄθλον ἂν σοι τοῦδ' ἔ' ἀλγίω πόροι.
8. ΠΡ. ὃ δ' οὖν ποιείτω πάντα προσδοκῆτά μοι. 9. ΧΟ. οἱ προσκυνοῦντες τὴν Ἀδράστειαν σοφοί.

Praeterae conf. Suppl. vv. 320—332, Agam. vv. 516—528, vv. 1258—1271, Eum. vv. 410—427, vv. 578—596. Ad hos locos praeter alios etiam adnumerandum esse arbitror Septem adv. Thebas vv. 784—794, qui locus Hermannii demum ingeniosa sagacitate emendatus est. Primi enim versus hoc ordine in omnibus libris scripti leguntur: ΧΟ. τί δ' ἐστὶ πρῶτος νεόκοτον πόλει παρόν;

ΑΓ. πόλις σέσωσται, βασιλέες δ' ὁμοσπόροι  
ἄνδρες τεθνήσκειν ἐκ χειρῶν αὐτοκτόνων κτλ.

Extrema vero eorum, quae nuntius choro respondet, ita scribuntur:

πόλις σέσωσται· βασιλέων δ' ὁμοσπόροι  
πέπωκεν αἶμα γὰρ ὑπ' ἀλλήλων φόνῳ.

Hic ordo et ipsa repetitio unius versus jure vitii suspicionem v. d. movit et eo quod nuntio contra morem cum tragicorum tum Aeschyli hic duo versus tribuuntur, cum chorus uno interrogaverit, Virum autem sensu tragicorum lectione bene subacto prae ceteris insignem jam pridem ea, quae nunc demonstraturi sumus, aliquo modo sensisse etiam ex iis apparet, quae ad singulos versus sagaciter dispositos adnotat. Dicit vero haec: Metuenti choro, ne aliud urbi malum immineat, respondet nuntius, ut et hac sollicitudine liberet chorum et quid acciderit, narrare incipiat: πόλις σέσωσται βασιλέων δ' ὁμοσπόροι — Praesagiens mala chorus respondet: τίνων; κτλ. Ad haec nuntius nominatim de quibus loquatur indicaturus adhuc suspensa oratione: φρονοῦσα κτλ. Jam certius intelligit chorus: οἱ γὰρ κάλαυα κτλ. Tum vero nuntius concludit orationem: πέπωκεν αἶμα γὰρ ὑπ' ἀλλήλων φόνῳ. Ibi chorus facinoris atrocitate exhorrescens apertius sibi narrari rem postulat: ἐκεῖθι κῆλθον; κτλ. Respondet ergo non ambigue nuntius: ἄνδρες τεθνήσκειν κτλ. Inde chorus rem paene incredibilem secum reputans: οὕτως κτλ. Confirmat id nuntius: οὐδ' ἀμφιλέκτως κτλ. Iterum chorus eadem cogitatione occupatus: οὕτως ὃ δαίμων κτλ. Quae iterum denique confirmat nuntius. Vides igitur duas pari versuum numero distinctas partes. Hac vero distributione primum versum ex nuntii oratione stichomythiae praecedenti adnumerandum esse hic et multis aliis locis sententiarum connexionem probatur. Ut supra jam ostendimus, librariorum incuria vel ignorantia aliquoties factum est, ut versuum ordine turbato aut mutilato media in stichomythia uni personae duo vel tres tribuantur versus. Ejusmodi sunt, qui in Septem adv. Thebas vulgo ita distincti leguntur vv. 1034—1038.

*KHP.* ἀλλ' εἰς ἅπαντας ἀνθ' ἑνὸς τόδ' ἔργον ἦν.

*ANT.* Ἐρις περαίνει μῦθον ὑστάτη θεῶν.

ἐγὼ δὲ θάψω τόνδε μὴ μακροχόρει.

*KHP.* ἀλλ' αὐτόβουλος ἴσθ', ἀπεννέπω δ' ἐγώ.

Hermannus ad restituendam colloquii aequabilitatem postulat, ut post primum versum excidisse statuamus versum Antigoniae hac fere sententia: οἱ γὰρ ξυνηδικησαν ὑβρίσαντί νιν, alterum autem nuntio tribuamus. Qua ratione etsi quae dubitationem movent facile removentur, tamen versuum ordinem tantummodo perturbatum esse et verbis: Ἐρις περαίνει μῦθον ὑστάτη θεῶν sermonem concludi suspicor. Facile propter sequentem vocem: ἀλλ' versus commutari potuerunt. Quae si ita sunt, tres habemus stichomythiae partes particula ἀλλὰ distinctas. Nam primum quidem nuntius Antigonia, ne fratrem sepeliat, populi ira deterrere studet, deinde quantam ille patriae intulerit injuriam demonstrat; Antigonia autem, quum nuntius hanc sententiam persequatur, ut feminae solent, nihil nisi firmum sepeliendi fratris consilium repetit et nuntio dehortanti aptissime denique respondet: Ἐρις κτλ.

Tres autem versus male conjungi et uni personae attribui arbitror in Prom. vv. 257—260. Postquam enim Prometheus choro interroganti alternis versibus ostendit, quantis homines affecerit beneficiis, vulgo tres choro attributi sequuntur versus: τοιοῖσδε — προκείμενον, sed quoniam nondum finita est stichomythia, ita eos esse distribuendos arbitror:

*XO.* τοιοῖσδε δὴ σε Ζεὺς ἐπ' αἰτιάμασι —

*HP.* αἰκίζεταί τε σουδάμῃ χαλᾷ κακῶν.

*XO.* οὐδ' ἔστιν ἄλλοις τέρατα σοι προκείμενον;

*HP.* οὐκ ἄλλο γ' οὐδέν, πλὴν ὅταν κείνῳ δοκῇ.

Ad hanc levem interpunctionis mutationem praeterea his impellor observationibus. Saepissime Aeschylus in stichomythiis tredecim versus adhibet, in hac tragoedia stichomythiae quaternis vel binis versibus maximam partem comprehenduntur et tres versus uni personae semel tantum tribuuntur, at tamen ita ut sine dubio unus sejungendus sit. (Prom. vv. 36—38). De prima illa observatione conferri possunt: Suppl. vv. 320—332, 489—450, 881—896 (?), Septem adv. Th. vv. 784—795, 1026—1038, (si Hermannii conjecturam probaveris), Agam. vv. 253—263, 516—528, 898—910, 1061—1173, 1258—1271, Choeph. vv. 101—114, 161—174, 210—221, Eum. vv. 200—211 etc. Quod autem inter hos locos nonnullas stichomythias duodecim aut quattuordecim versuum recepi, non mirabitur, qui colloquii naturam perspexerit. Quotiescunque enim cogente colloquii ratione alius atque qui primum versum dixerit, pluribus postea perget, parem effici versuum numerum oportet. Consulto Aeschylum ejusmodi stichomythias usum esse cum ex ipsa exemplorum multitudine apparet, tum eo probatur, quod una in tragoedia Agam. quinquies hunc colloquii modum adhibet. Similiter poeta idem septem versuum stichomythias plerumque composuit in Prometheus. Conf. vv. 388—394, 517—523, 616—622, 625—631. Quae praeterea cum hac componendi ratione conferri possunt, infra nobis exponenda sunt. Jam ad aliam rem transeamus.

Nulla modo quemquam effugere potest, qui tragicorum Graecorum sermones comparaverit, imprimis a Sophocle unum versum inter duas vel tres personas saepissime dispertiri, apud Aeschylum autem ne in tetrametris trochaicis quidem admitti hanc personarum vicissitudinem. Qua re non leve paratur diverbiorum discrimen. Perlegas quaeso quamvis raptim Sophoclis Oedipum Col. vel Philoc-

etam et statim revertare ad quamlibet Aeschyli tragoediam, profecto mox senties, quam graves sint sermones, quos Aeschylus pleno ore pronuntiat, quamque suaviter et eleganter Sophoclis sonent. Ne tum quidem Aeschylus, cum interjectiones q. v. adhibet, unum versum inter plures personas dispartit, sed semper iis unius versus vim attribuit. Prometheus chorum appropinquantem jam sentiens exclamat: *ἄ ἄ ἔα ἔα* (v. 114). Jo de futurorum errorum molestiis a Prometheo edocta ejulat: *ὦ μοί μοι, ἔ ἔ*. (v. 743). Conf. Agam. vv. 22, 1173, 1266, 1274; Choeph. vv. 190, 868, 1044. Saepius etiam brevis sententia ad conficiendum versum additur, ut Pers. v. 428 Atossa Persarum cladem conquerens dicit: *αἰαῖ, κακῶν δὴ πέλαγος ἔρωγεν μέγα* — et paullo post: *οἱ γὰρ τάλαινα συμφορᾶς κακῆς, φίλοι*. Conf. etiam Choeph. vv. 875 et 881. Cum his non consentiunt, quae leguntur in Prom. v. 984 s.

*ΠΡ.* ἀπλῶ λόγῳ τοὺς πάντας ἐχθαίρω θεοίς,

ὅσοι παθόντες εὖ κακοῦσί μ' ἐκδίκως

*ΕΡ.* κλύω σ' ἐγὼ μεμηνοῖ' οὐ σμικρὸν νόσον.

*ΠΡ.* νοσοῦμ' ἄν, εἰ νόσημα τοὺς ἐχθροὺς σιγγεῖν.

*ΕΡ.* εἴης φορητὸς οὐκ ἄν, εἰ πράσσοις καλῶς.

*ΠΡ.* ὦμοι.

*ΕΡ.* τόδε Ζεὺς τοῦπος οὐκ ἐπίσταται.

*ΠΡ.* ἀλλ' ἐκδιδάσκει πάνθ' ὁ γηράσκων χρόνος.

*ΕΡ.* καὶ μὴν σύ γ' οὐπω σωφρονεῖν ἐπίστασαι. κίλ.

Librorum mss. hoc loco nulla est discrepantia. Hermannus quidem ὦμοι his verbis probat: Non haec dolentis malis suis vox est, sed cum dolore indignantis ob perversum illud deorum de se iudicium. Quo plus autem ponderis in hac brevitate est, eo minus miranda est inversio *σιγγονθίας*, ut dehinc non Mercurius Prometheo, sed Prometheus Mercurio respondeat. Sed non video, quomodo talis Promethei pertinacis superbique exclamatio Mercurii verbis excitari possit et quae sequuntur ei concilientur. Certe Prometheus Jovis casum vaticinans dixit ita fere: *οἰμώζεται δὲ Ζεὺς ποτε πράσσων κακῶς*. Ad haec Mercurius respondere potest: ὦμοι — τόδε Ζεὺς τοῦπος οὐκ ἐπίσταται. Hac ratione librarios saepissime aberrasse inter omnes constat. Similiter Keckius de hoc loco sentit, sed hujus modi versum excidisse putat: ὦμοι φορητὸν Ζεὺς ἔθρηκεν ὧδ' ἐμέ, in quo vox φορητὸς ambiguum habeat sensum. V. Ann. phil. v. 81 p. 842. Huic non illepidae conjecturae multo magis assentiar, quam sententiae eorum, qui plures excidisse versus arbitrantur.

Praeterea idem fere quod hic vir doctus (conf. Ann. phil. vol. 87 p. 155 s.) jam pridem de tribus versibus sensi, qui in Septem adv. Thebas vv. 199—201 vulgo ita distincti leguntur:

*ΕΤ.* πύργον στέγειν εὐχεσθε πολέμιον δόρυ.

*ΧΟ.* οὐκοῦν ἰαδ' ἔσται πρὸς θεῶν;

*ΕΤ.* ἀλλ' οὖν θεοὺς

αὐτοὺς ἀλούσης πόλεος ἐκλείπειν λόγος.

Hac enim ratione versus dirumpere atque quae antea et postea uni personae tribuuntur pluribus assignare non est artis Aeschyleae. Affirmantis autem sunt, non interrogantis verba: *οὐκοῦν ἰαδ' ἔσται πρὸς θεῶν* neque ut adhuc fieri solebat interpretanda: Wird das nicht von den Göttern ausgehen? Keckius l. l. recte haec monet: Immer heißt *εἶναι πρὸς τινας* 'auf jemandes Seite stehen', ab aliquo stare, wie in dem bekannten *πρὸς γὰρ Διὸς εἶσιν ἄπαντες ξεῖνοι*, oder Sieben 497 *πρὸς τῶν κρατούντων*

δ' ἐσμέν, οἱ δ' ἴσσωμένων, oder Eur. Rh. 320 ἐπειδὴ Ζεὺς πρὸς ἡμῶν ἐσιν, und daraus entwickelt sich naturgemäß die Bedeutung «für jemand anständig sein» Ag. 1605, oder «zu jemandes Vortheil, in seinem Interesse sein», wie Thuc. III, 38 ὃ ἐστὶ πρὸς τῶν ἡδικητότων μᾶλλον, und II 86 νομίζοντες πρὸς ἐκείνων εἶναι τὴν ἐν ὀλίγῳ ναυμαχίαν, und VIII, 81 οὐ πρὸς ἐκείνων μᾶλλον ἢ πρὸς τῶν Ἀθηναίων (so auch Soph. Trach. 479 τὸ πρὸς κείνου «was in seinem Interesse ist»).

Jam restant nonnulla distichorum exempla, quorum clarissimum est illud Ag. vv. 1308—1331, locus a multis iisque doctissimis viris tractatus. Hermannus, qui contra Odofr. Müllerum vv. 1304—1331 a singulis quindecim senibus recitari contendit secundum schol. ad Aristoph. Equ. v. 586 (v. Op. II. p. 130), initium fieri ratione quadam epodica dicit, ut trimeter Agamemnonis et sequens trochaicus chorici senis pro stropha et statim eadem metra pro antistropha sint, quas tertii senis trochaicus epodi loco sequatur. Quod ad ipsa disticha attinet, vir illustris Ferd. Bambergerum laudat in diss. de carminibus Aeschylī a partibus chori cantatis, Marb. a 1832 ed., scite animadvertentem, secundo tertium, quarto quintum, sexto septimum, octavo nonum, decimo undecimum respondere. Recte quidem haec dici, sed ad secundum et tertium distichon etiam primum adnumerandum esse neque a decimo et undecimo duodecimum sejungi posse arbitror. Is enim qui primus sententiam dicit, cives ad regiam auxilii causa convocandos esse, aequae ac secundus et tertius, qui in domum irrumpendum esse et facinoris auctores convincendos censent, nihil nisi id studet, ut regem necatum quam celerrime ulciscatur. Non tam re ipsa quam agendi ratione inter se differunt. Quartum deinde senem incipientis dominationis signa reputantem quintus, si cum Hermanno pro οἱ δὲ μελλούσης κλέος πέδον πατοῦντες legimus οἱ δὲ τῆς μελλούσης κλέος πέδοι πατοῦντες, leviter eo perstringit, quod eorum manus non dormire dicit, qui cunctandi gloriam conculcent. Aptissime vero ipsam partem mediam tenent sententiae eorum, qui dubii haerent et in eo acquiescunt, quod necatus rex sermonibus a morte revocari nequeat. Tyrannidem rursus attingunt duo quae sequuntur disticha. Nullo modo domum inquinantibus cedendum esse, sed mortem praeferendam contendunt, cum mors tyrannide sit mitior. Qui denique sequuntur senes tres de re ipsa non liquere atque aliud esse conjicere aliud certo scire arbitantes in primis explorandum esse censent, quomodo se Agamemnon habeat. Qua ratione haec efficitur dispositio. 1+2+3 | 4+5 | 6+7 | 8+9 | 10+11+12. Hermannus vero duodecimi distichi verba ita interpretatus: undique conveniunt mihi argumenta, ut hanc sententiam probem, certo cognoscendum esse, quid agat Atrides, rem ipsam monere dicit, ut eum, qui haec loquatur, coryphaeum esse statuamus, qui se ducem praebat choro in aedes irrupturo. Sine dubio rem exploraturis irrumpendum erat, sed senibus etiam tunc deliberantibus Clytaemnestra prodit, neque minus apte coryphaeo tribui possunt verba ab Hermanno ipso sic emendata: ἀλλὰ κοινωσώμεθ' ἂν πὼς ἀσφαλῆ βουλευματα pro κοινωσάμεθ' vel κοινωσοίμεθ', quoniam senes ad consilium habendum invitare in primis coryphaei est. Quicumque vero extrema illa a praecedentibus verbis distingui malet, etiam primum a secundo disticho sejungat necesse est. Sed haec hactenus.

Brevius simpliciusque exemplum praeterea continent extrema Choephorarum. Oresti enim conquerenti, quod errabundus et ex patria exsul vivus mortuusque matricidae famam relicturus sit, chorus quattuor versibus, bene eum fecisse respondet, quippe qui strenue abscissis duorum draconum capitibus totam Argivorum urbem liberaverit. Orestes autem a furiis jam correptus conclamat: Hei, hei, quales mulieres apparent Gorgonum similes pullatae capillosque crebris anguibus implicatos gerentes,

non jam hic manere possum. Quae verba ut pari modo quattuor versus expleant, colloqui aequabilitate postulatur atque vocibus  $\tilde{\alpha}$   $\tilde{\alpha}$  unius versus vis attribuenda est. Septem vero distichorum ordo hic est:  $2 + 2 + 2 | + 2 | + 2 + 2 + 2$ . Nam primum quidem chorus Oresti persuadere conatur, ut inanibus formis se exagitari atque recenti adhuc sanguine perturbari credat, sed simul atque in quarto disticho Orestes exclamavit: O rex Apollo, jam augetur harum numerus et ex oculis destillat sanguis odiosus, chorus dei clementiam atque auxilium certum ei pollicetur profitentique, sibi amplius non esse manendi locum; vale, inquit, atque deus benevolus te respiciat custodiatque.

Decem vel duodecim disticha in quattuor partes distinguenda reperimus in Eum. vv. 703-727. Postquam enim Minerva Atheniensibus primae rei capitalis iudicibus legem proposuit, quam sequentes novum hoc iudicium consilium servent quodque praesidium rei publicae inde sit futurum indicavit, jam vero, inquit, surgere oportet et calculos ferre ac iurandum reverentes litem dijudicare. Dixi. Statim inter chorum et Apollinem acris exoritur altercatio. Choro enim Atheniensibus suadenti, ne suam societatem dedecore afficiant gravem si fecerint Atticae terrae futuram, Apollo respondens sua et Jovis oracula eos revereri jubet. Haec autem, si iudicia capitalia ei non mandata exercuerit, neque pura neque casta fore chorus contendit. Similiter tria quae sequuntur disticha inter se cohaerent. Apollini enim quaerenti, num Jupiter ipse suis consiliis lapsus sit, quod supplicem Ixionem primum a caede expiaverit, chorus hoc confirmat seque iterum causa victum ei regioni gravem fore dicit. Huic Apollo, tu autem, inquit, nec inter veteres nec inter novos deos ullo in honore haberis, ego vero vincam. Pari modo deinde chorus Apollini aliud delictum exprobrat, quod Parcas commoverit, ut Admetum immortalem redderent, et quaerenti, quemadmodum pios deorum cultores praesertim rogantes beneficio afficere non sit aequum, vitio vertit, quod veteres deas vino deceperit. Concluditur denique altercatio his verbis:

ΑΠ. σύ τοι τάχ', οὐκ ἔχουσα τῆς δίκης τέλος,

ἐμεῖ τὸν ἴον οὐδὲν ἐχθροῖσιν βαρύν.

ΧΘ. ἐπεὶ καθιππάζει με προσβῦτον νέος,

δίκης γενέσθαι τῆσδ' ἐπήχοος μένω,

ὡς ἀμφίβουλος οὐσα θυμοῦσθαι πόλει.

Quae verba si sana sunt adnumerato primo sequentis orationis disticho hanc habemus stichomythiae dispositionem simplicem et in extrema parte tantum leviter variatam:  $2 + 2 + 2 | + 2 + 2 + 2 | + 2 + 2 | + 2 + 3 + 2$ . Nihilo secius et haec variata sermonis forma et tertii illius versus sententia nonnihil dubitationis mihi jam diu movit. Accedit, quod codices ad unum fere omnes pro voce *ἀμφίβουλος*, quam Turnebo auctore omnes editores receperunt, *ἀμφίβολος* habent. Hanc qui in margine adscripsit, dissidentibus adhuc iudicibus nondum latam esse sententiam sensit, postea vero alius ad chorum retulit. Qua ratione versus facile potuit expleri. Neque vero relationem quandam inter illos quinque versus et sequentem orationem reperiri posse nego, cum similia cola ( $2 + 3 + 3 + 2$ ) attentum lectorem fugere nequeant.

Pluribus deinde nobis de insigni Promethei exordio dicendum esset, nisi Prienum jam satis docte de eo dijudicasse ex Keckii recensione in Ann. phil. vol. 81 p. 839 s. perspexissem. Mihi quidem huius opusculi inspiciendi nondum facta est copia, sed, ne longus sim, levioribus omissis praeclaram huius exordii dispositionem signis quibusdam statim ostendam:

$11 + (6 + 11 + 6 + 1) + 1 + 5 \times (2 + 1) + 5 \times (2 + 1) + 5 \times (2 + 1) + 6 + (5 + 8 + 5 + 8 + 3 + 2 + 8)$



Quis enim non videt, pari modo atque Robur Vulcanum alloqui vv. 1—11 *Χθονός μὲν ἐς τηλουρόν ἤχομεν πέδον — φιλανθρώπου δὲ πάνεσθαι τρόπον*, Prometheum adpellari a Vulcano vv. 18—28, *τῆς ὀρθοβούλου Θέμιδος ἀπνυμῆτα παῖ — τοιαῦτ' ἐπηύρου τοῦ φιλανθρώπου τρόπου*. Iisdem fere verbis desinentes hae duae allocutiones satis distincte indicantur. Qui sequuntur sex vv. 29—34 praecedentibus sex vv. 12—17 jam eo respondent, quod ex ter repetitis distichis constant; septimus vero *ἄπας δὲ τραχὺς ὅστις ἂν νέον κρατῆ* totam Vulcani orationem concludit. Tum atrox ille Vulcani comes, Robur dico, socii misericordia exacerbatus altercari incipit versu: *εἶεν, τί μέλλεις καὶ κατοικίξει μάτην*; et statim addit, cur deum istum diis invisissimum odio non habeat, qui munus ipsi tributum hominibus prodiderit. Vulcano uno versu ad haec respondentem, magnam nimirum vim habere consanguinitatem et consuetudinem, Robur patris jussa non negligenda contendit. Qua ratione quinques repetitus binorum singulorumque versuum ordo apte concluditur Vulcani verbis: *ἔγνωκα τοῖσδε κοῦδὲν ἀντιπεῖν ἔχω*. Idem est ordo atque numerus eorum, quae de vinciendo Prometheo dicuntur. Quo munere prope perfecto Vulcanus ferreum cuneum per ipsum Promethei pectus adactus exclamat:

*αἰᾶ Προμηθεῦ, σῶν ὑπερ στένω πόνων.*

*ΚΡ. σὺ δ' αὖ κατοικνεῖς τῶν Διός ἰ' ἐχθρῶν ὑπερ*

*στένεις; ὅπως μὴ σαντὸν οἰκνεῖς ποτέ.*

*ΗΦ. ὄργῃς θέαμα δυσθέατον ὄμμασιν.*

Omnino autem perfecto opere ad novissima Roboris verba atrociam Vulcanus:

*ὁμοια μορφῇ γλώσσά σου γηρύεται.*

*ΚΡ. σὺ μαλθακίζον, ἴην δ' ἐμὴν αὐθαδίαν*

*ὄργῃς τε τραχύνητα μὴ 'πίπλησέ μοι.*

*ΗΦ. στείχωμεν' ὡς κόλοισιν ἀμύβληστον' ἔχει.*

Quae verba cum pari modo tertiam stichomythiae partem inducant atque concludant, fieri non potest, quia poetae gravissimi non injucundum artificium eo magis admiremur, quo praestantior est sententiarum vis. Praeclarum hujus rei exemplum statim vv. 88—127 praebent. Prometheus enim praesentes jam deos nulla voce allocutus post eorum discessum corporis animique doloribus exagitatus repente invocat aera, ventos, undas, terram, solem, ut qualia deus patiatur mala a diis videant eaque octo versibus anapaestis, qui trimetros illos quinque excipiunt, pluribus exponit. Altera vero orationis pars, quae tota ex tredecim trimetris iambicis constat, eandem ostendit dispositionem. Quinque enim prioribus versibus Prometheus se jam colligens et quae deum deceant reputans futura se praevidisse et quae fato decreta sint aequo animo feranda esse confitetur; sexto autem versu transiens ad ipsum malorum fontem se ob beneficia hominibus oblata immerito luere poenas ostendit. Appropinquante denique choro ejus animus rursus vehementer exagitur. Haec tertia orationis pars a praecedentibus sejuncta vocibus *ἄ ἄ* jam anapaestorum systemate q. v. in duas dividitur partes. Simpliciora quidem sunt illa exordia, quae ex nonnullis majoribus orationibus compositae sunt, sed in his quoque certa perspicitur lex, quam viri docti antitheticam vocant. Ita enim sententiae dispositae et exornatae sunt, ut paria et simili ordine se excipientia cola efficiantur. Qua de re conferri possunt orationes Eteoclis et nuntii in Septem adv. Thebas. Eteoclis enim oratio versibus 13 et 18 ob perspicuam glossematum speciem ejectis haec ostendit cola distincta: 3, 6, 6, 3, 3, 6, 6, 3; nuntii vero responsio sic est disposita: 3, 3, 4, 3, 3, 4, 3, 4, 3. Quod praeterea ad Agamemnonis exordium attinet, interjectionibus

ἰοῦ ἰοῦ, ut supra demonstravimus, unius versus vim tribui iisque duas orationis partes significari oportet. Quibus de causis eas post v. 19 vel v. 24 collocandas esse censeo, non post v. 21, quod Hermannō placuit. Neque vero criticus egregius negat, dici posse, tunc demum custodem plane quantum hoc gaudii sit, sentire eoque in voces illas erumpere. „Et concederem profecto id non inepte inventum esse, modo, ubi primum ignis conspicitur, alia interjectio ut ἄ ἄ, esset posita.“ Cum autem versus septimus multorum consensu ejiciendus sit, haec cola statuamus necesse est: 6, 4, 4, 4, | 6 | 6, 4, 4. Extrema deinde hujus tragoedia pars non solum eo insignis est, quod Clytaemnestra ejus finem facit, non chorus, sed etiam ratione antithetica composito colloquio et duabus pari ut videtur versuum numero congruentibus stichomythiis. Wellauerus jam comprobante Hermannō hoc colloquium ita esse compositum ostendit, ut medii sint Aegisthi quinque versus 1597—1604, inde utrimque terni chori, tum octo Aegisthi, extremi autem seni, quos rursus chorus recitat. Quae si ita sunt atque Hermannī sententia de restituendo versuum ordine pristino probanda est, primus vero Clytaemnestrae versus praecedenti stichomythiae adnumerandus, praeclara responsio ex ipsis versuum numeris perspicui potest. Sunt vero hi: 6, 8, 3, 5, 3, 8, 6, | 7. 1, 8, 2, 7. 1, 2.

Apte comparari possunt Choeph. vv. 752—769, quos Hermannus ita disponit: 4. 1 + 4 + 5. 1 + 2 + 2. Idem vero versuum alternorum numerus repetitur in Prom. vv. 610—613. Ioni enim varia interroganti Prometheus quattuor versibus respondens nomen profitetur malorumque fontem indicat verbis πῦρὸς βροτοῖς δοτῆρ' ὄρας Προμηθεῖα. Horum non bene perspecta sententia virgo duobus versibus rursus malorum causam quaerit, sed quoniam Prometheus invitus nihil nisi Jovem auctorem confitetur, mox ad aliam rem transiens iterum duobus versibus errorum suorum finem ex eo percontatur Consentientem denique et jam vaticinaturum deum chorus quattuor versibus interpellat.

<i>ΙΩ.</i> ὦ κοινὸν ὠφέλημα θνητοῖσιν φανείς, τλήμων Προμηθεῦ, τοῦ δίκην πάσχεις τάδε;	<i>ΙΩ.</i> καὶ πρὸς γε τοῦτοις τέρμα τῆς ἐμῆς πλάνης δειξὼν τίς ἔσται τῆ ταλαπύρῳ χρόνος.
<i>ΠΡ.</i> ἀρκοῖ πέπαιμαι τοὺς ἐμοὺς θρηγῶν πόνους.	<i>ΠΡ.</i> τὸ μὴ μαθεῖν σοι χρεῖσσον ἢ μαθεῖν τάδε.
<i>ΙΩ.</i> οὐκ οὖν πόρουσ ἂν τήνδε δωρεὰν ἐμοί;	<i>ΙΩ.</i> μήτοι με κρύψης τοῦθ' ὅπερ μέλλω παθεῖν.
<i>ΠΡ.</i> λέγ' ἦντιν' αἰτεῖ πᾶν γὰρ ἂν τίθειό μου.	<i>ΠΡ.</i> ἀλλ' οὐ μεγάρω τοῦδέ σοι δωρήματος.
<i>ΙΩ.</i> σήμερον ὅστις ἐν φάραγγί σ' ὤχμασεν.	<i>ΙΩ.</i> τί δῆτα μέλλεις μὴ οὐ γεγωνίσκειν τό πᾶν;
<i>ΠΡ.</i> βούλευμα μὲν τὸ Διον, Ἐφάιστον δὲ χεῖρ.	<i>ΠΡ.</i> φθόνος μὲν οὐδεὶς, σὰς δ' ὀκνῶ θράξαι φρένας.
<i>ΙΩ.</i> ποινὰς δὲ ποίων ἀμπλακημάτων ἴνεις;	<i>ΙΩ.</i> μή μου προκίθον μασσόνως ἢ ἴμοι γλῆκνύ.
<i>ΠΡ.</i> τοσοῦτον ἀρκῶ σοι σαφηνίσαι μόνον.	<i>ΠΡ.</i> ἐπεὶ προθυμεῖ, χρὴ λέγειν ἄκουε δῆ.

Neque vero haec responsio, quae signis quibusdam breviter ita potest describi: 4 + 2 + 7. 1 = 2 + 7. 1 + 4, hoc loco jam finitur, sed sequentes quinque Promethei versus pari numero in Jonis oratione respondent. Ipsam enim laborum enarrationem Jo his demum incipit verbis: αἰεὶ γὰρ ὄψεις ἐννεχοὶ πωλεύμεναι κτλ. Hanc quidem sententiarum et versuum connexionem aliquamdiu non perspexi, ita ut v. ἄλλως τε πάντως καὶ κασιγνήταις πατρός, spurium esse arbitrare, sed mox pluribus locis hujus tragoediae erroris convictus sum. Certe enim relatio quaedam statuenda est inter vv. 783—786 et 787—790, 820—823 et 824—827, 332—336 et 337—341 et 342—346 etc. Similis deinde versuum numerus repetitur Suppl. vv. 278—332, si probanda sunt, quae viri docti de lacunis prioris stichomythiae disputaverunt. Equidem probo et hunc versuum ordinem statuo; 2 + 2 + 26. 1 (= 13. 1 + 13. 1) + 2 + 3 + (2 + 3) + 2 + 13. 1. Aptissime denique Choephoraram locus insignis, v. 473 s, conferri

potest, cujus dispositio ex ipsis numeris facile apparet:  $2 + 2 + 3 + 3 + 8. 1 + 3 + 4 + 4 + 3 | + 3 + 9 + 3 + 9. 1 + (3 + 2) + (3 + 9)$ . Mediam hujus diverbii partem alii aliter constituerunt, equidem maximam partem Hermannum secutus versum 504: *τίμημα τύμβον τῆς ἀνοιμόκιου τύχης* Electrae non choro tribui, sed versum 479 *καὶ μὴ ἔλαλεθης σπέρμα Πηλοπιδῶν τόδε* cum praecedentibus tribus Electrae versibus et versum 498 *οὕτω γὰρ οὐ τέθνηκας οὐδέποτε θανών* cum sequentibus Orestis conjungendum esse censeo. Qua ratione etsi perfecta symmetria q. v. non efficitur, tamen ea apparet, cujus partes pares facillime dignoscantur. Praeterea non solum eo quod in priore diverbii parte Orestes et Electra, in altera Orestes et chorus colloquantur discrimen aliquod paratur, verum etiam cum frater et soror patrem foedissime caesum querentes invocent, chorus autem et Orestes matris atrox somnium considerantes imminentem mortem significans secundum omen accipiant, diversa colloqui ratio postulat. Illa vero stichomythiarum relatio haud scio an cuiquam probabilis videatur, cum undetriginta versibus separentur, sed non tam versuum numerus, quam argumentorum similium connexio respiciatur necesse est.

Praeter hos quos adhuc tractavi locos jam restat non parvus eorum numerus, in quibus nulla responsio adhiberi videtur, sed quamquam non omnia ad certam componendi legem referendam esse censeo, tamen nonnullas partes non sine arte ita compositas esse arbitror, ut quo acrior exstiterit altercatio vel quo vehementius animi sint moti, eo plures versus singulis personis tribuantur. Aptissimum exemplum apparet in Pers. vv. 428—441:

*AT.* αἰαὶ κακῶν δὴ πέλαγος ἔρρωγεν μέγα

*Πέρσαις τε καὶ πρόπαντι βαρβάρων γένει.*

*AT.* εὐ νῦν τόδ' ἴσθι, μηδέπω μεσοῦν κακόν

*τοιιάδ' ἐπ' αὐτοῖς ἦλθε συμφορὰ πάθους,*

*ὡς τοῖσδε καὶ δις ἀντισηκῶσαι ἔσπῃ.*

*AT.* καὶ τίς γένου' ἂν τῆσδ' εἴ' ἐχθίων τύχη;

*λέξον, ἂν' αὐ γῆς τήνδε συμφορὰν σιρατῶ*

*ἔλθειν κακῶν ἔπεουσεν ἐς τὰ μάσσονα.*

*AT.* Περσῶν ὅσοιπερ ἦσαν ἀκμαῖοι φύσιν,

*ψυχὴν τ' ἄριστοι κεύθενειαν ἐκπρεπεῖς,*

*αὐτῶ τ' ἄνακτι πίσυν ἐν πρώτοις αἰεὶ,*

*τεθνήσκειν αἰσχρῶς θνηκλεεστίατῳ μόρω.*

*AT.* οἱ γὰρ τάλαινα συμφορᾶς κακῆς, φίλοι.

*ποιῶ μόρω δὲ τοῖσδε γῆς ὀλωλέναι;*

Conferri possunt Prom. vv. 1001—1010, Suppl. vv. 308—319, 584—588, Choeph. v. 873 s., Neque diversa esse videtur ratio altercationis inter Prometheus et Mercurium intercedentis, vv. 941—967, quo loco septem versus excipiuntur novem, novem vero undecim versibus. Contra binorum versuum ordo interruptur apte uno v. 385, quem rursus duo sequuntur, ita ut transitionis loco esse positus videatur. Totius enim colloqui ratio haec est:  $4 + 2 + 2 + 2 + 1 + 2 + 7. 1 + 4$ . (vv. 375—398.) Recte Keckius l. l. cum his vv. 968—990 confert eosque simili ratione restituendos esse censet. Nam cum verba *οὕτως ὑβρίζειν τοὺς ὑβρίζοντας χρεῶν* non habeant, quo referantur, unum versum ex-

cidisse statuamus oportet. Quae si ita sunt et verba *κεῖσσαν γὰρ — πιστὸν ἄγγελον* Mercurio tribuenda, hanc habemus colloquii formam:  $2 + 2 + 2 + 2 + 1 + 2 + 10$ . 1.

Restat denique, ut paucis exponamus, quomodo Aeschylus stichomythias cum praecedentibus et sequentibus diverbii partibus plerumque conjunxerit. Jam ex iis, quae supra de ipsis versibus alternis eorumque responsione disputavi, hoc non sine arte fieri facile potest perspicere, sed pluribus hanc quaestionem persequar. Nonnullis quidem locis inter illas diverbii partes nihil invenies, quod transitionis loco positum putes, ita ut stichomythiae orationes, itemque orationes stichomythias statim excipiant, nihilo secius caveas, ne hoc incuriae veritas poetae prae ceteris symmetriae q. v. studioso atque diligenti. Videmus enim hanc abruptam dicendi rationem commode adhibitam, ubi homines terrore vel gaudio excitati colloquuntur. Conf. Prom. v. 932, Ag. vv. 516, 898, Eum. vv. 736—879, Septem 1024. Neque recte Hermannum Suppl. v. 437: *ἢ κάρτα νείκους τοῦδ' ἐγὼ παροίχομαι* choro attribuisse censeo atque scripsisse: *ἢ κάρτ' ἄνοικτος τοῦδ' ἐγὼ παροίχομαι*; nam bene haec verba regi tergiversanti congruunt et schol. explicatione comprobantur: *καὶ τοῦτο ποιῶν ἐκτὸς ἔσομαι τοῦ νείκους θεοῦς ὑπηρετῶν*. Duo autem versus stichomythiae praecedentes raro reperiuntur (Suppl. vv. 318 s., Choeph. vv. 159 s., 208s.), itemque tres (Eum. vv. 197 s., 407 s., 566 s., Suppl. v. 190 s.). Frequentius vero quattuor occurrunt versus (Prom. vv. 244 s., 509 s., 610 s., Ag. vv. 249 s., 1157 s., 1201 s., 1254 s., Suppl. vv. 884 s., 876 s. (?). Praeterea multae stichomythiae eodem versuum numero, quo incipiunt, etiam concluduntur (Suppl. vv. 280 s., 876 s. (?), Prom. vv. 244 s., 375 s., 610 s., Ag. vv. 1634 s., Choeph. vv. 159 s., 480 s.). Similiter Pers. vv. 225 s. sex versus stichomythiam incipiunt, tres vero concludunt. Neque vero sermonis gravitas valde eo imminuitur, quod idem vel similis versuum numerus iteratur ( $6 + 6$ , Pers. vv. 704 s.;  $4 + 4$ , Prom. vv. 509 s.;  $4 + 2$ , Prom. vv. 610 s.; Suppl. vv. 884 s.;  $3 + 3$ , Eum. vv. 572 s.;  $2 + 2$ , Suppl. vv. 278 s.;  $3 + 3 + 3$ ,  $1 + 2 + 2$  Pers. vv. 788 s.). Hac igitur ratione etsi loquendi vices nonnihil variantur, tamen ejusmodi sermones vix ad vividam Sophoclis elegantiam accedere facile apparet.

Paucis omissis haec fere sunt, quae olim ad stichomythias adnotavi, priusquam orationes ipsas sum aggressus.